



J. M. Meile L. S. 1711
25. 1711

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.



C. D.
DE
EXCEPTIONE
IMPOSSIBILITATIS
EX AFFLICTIONE ORTA,

Sub
PRÆSIDIO
PETRI MÜLLERI, U. J. D.
Prof. Pandect. Confil. Saxon. & Colleg.

Jurid. Asfessore,

ad d. Januar.

disputabit Autor

MICHAEL Niemann /

Eglâ - Saxo.

Jenæ, Typis Bauhoferianis, A. M D CLXXXV.

Præ-Illustri ac Generosissimo
DOMINO
LUDOLPHO PHILIPPO
ab & in Luderitz/

*Hæreditario Domino in Luderitz &
Upplingen*

Serenissimo ac Potentissimo Electori
Brandenburgensi à Consiliis intimis, Principalis Regimi-
nis Halberstadenſis Præſidi, Comitatus Regenſtei-
nenſis & Redituum Provincialium Directori,
& ſummo Profecto in Eglen &c.

Domino Mæcenati, ac Patrono poſt Deum
maximo ac devoto venerationis cultu
aternum ſuſcipiendo.

Disputationem hanc Academicam
humillimâ animi obſervantiâ
conſecrat

Clientis & Cultor devotiſſimus

MICHAEL Niemann.





C. D.

Prooemium.



Grave onus est, esse debitorem, gravius ad solutionem adstringi, gravissimum non habere, unde solvi possit; nam debere, nec esse, unde des, dicto Scaligeri, insepulta mors est. Accidit tamen aliquando, ut quidem obligatio negari nequeat, ejusdem tamen praestatio non ubique se sistere possit, cum ei impossibilitas obstet, ut tam is, qui optima mente credidit, suum ex voto non consequatur, quam qui debet, erubescat impeditus non solvere fidemque suam liberare. Uterque casum pro infortunio habet; Ne verò debitoris, cujus conditio propterea durior habetur, ad duriora adstringatur, confugere ipsi integrum est ad asylum misericordiae, daturq; in judicio si conveniatur, exceptio, non tamen simpliciter, nullo habitu reflexu, sed tum demum, quando infortunio causam non dedit, casuq; accidit, unde est illa impossibilitatis species, quae ex afflictione oritur, qua exercitii publici gratia nobis agendum est. Equidem ejusdem exercitii causam aliam juris materiam non minus frequentem, quam in foro utilem *de restitutione in integrum minorum* elegeram atq; pro virili elaboraveram; Verum cum postmodum perceperim eandem saepius in pulpitis academicis esse discussam, mentem mutavi, atque consilio eorum, quorum sententia mihi pro jussu, autoritas pro imperio est, praesentem aequè elegantem atque utilitate plenam, non quidem ea, quam meretur, rerum verborumque elegantiam, sed rudi quod ajuvit Minerva tractavi, ne tibi, Lector benivole, desit, quod addas monetasque meliora expectaturum libenterque excepturum. Oppono interim exceptionem difficultatis ex defectu solidioris doctrinae, cum promissione tandem aliquando justiora atque si Deus vult, perfectiora me editurum.

A 2

CA-

CAPUT PRIMUM
explicat
Terminos cum Descriptione
& Moralitate.

SUMMARIA.

Th. I. Quid exceptio. II. Impossibilitas. III. Afflictio. IV. Descriptio
hujus exceptionis. V. Hanc exceptionem aequitati & pietati
maximè convenire traditur.

Th. I.

Exceptio, ab excipere dicta, denotat hinc exclusionem,
quod actionem Jure civili subsistentem excludat, §. 1.
seq. Inst. d. except. & definitur ab Ulpiano in l. 2. ff. d. ex-
cept. quod fit exclusio quædam actionis, quæ cuique so-
let opponi ad excludendum id, quod in intensionem & condemnatio-
nem est deductum add. D. Præses in Jurisprud. Elementar. disput. 49.
th. 2. lit. b.

Th. II. *Impossibilitatis* vocabulum, quod Ciceronis ævo in usu
non fuisse vult Becman d. origin. lat. lingv. voc. *possum*, apud Quin-
tilianum tamen lib. 5. cap. 10. & 13. reperiri probat Schardius in
Lexic. voc. *impossibile* denotat inhabilitatem vel agendi vel pa-
tiendi, quod quid nullo modo fieri possit, atque accipitur quando que
pro *difficili*, ut in l. 4. §. 1. ff. d. *heredib. instit.* & difficultati magnæ æqui-
paratur in l. 2. §. 2. & l. 137. ff. d. *V. O.* Impossibilia enim non so-
lùm illa dicimus, quæ nullo modo fieri possunt, sed & quæ præ-
stari difficulter & penè cum ipsius rei interitu possunt, l. 39.
§. 7. & seqq. ff. d. *legat.* 1. l. 125. in fin. d. *V. S.* Unde difficile
penè impossibile dicitur ab Ulpiano in l. 55. ff. *famil. hercise*. quod
tamen improprie fit, & per *κατάχρησιν*. Est autem alia simplex
& absoluta impossibilitas, alia comparative talis seu respectiva. V. g.
Quando quis ita affligitur infortunio, ut omnibus planè exutus bo-
nis inutilis ad solvendum factus sit, absoluta dicitur impossibilitas;
Quando verò habet quidem tantum in bonis, ut creditori solvi pos-
sit integrè atque in solidum; verùm hoc facto, debitor nil amplius
habet, unde se honeste exhibere queat, sit verò ex numero illorum,
con-

contra quos in tantum fieri potest executio, in quantum facere potest & ne egeat, beneficioq; competentiar, quod vocant, gaudeat, est respectiva impossibilitas. Et sic, quod naturaliter est possibile, moraliter sive civiliter impossibile est. Quotuplex alias in jure dicatur impossibile quid esse, de eo vid. Schneidev. *ad tit. Instit. de inutilib. stipul. instit. §. si impossibilis* 10. Nostra impossibilitas ad eam speciem referri potest, quæ dicitur esse facti.

Th. III. *Afflictio*, à vetustissimo & moribus nostris inusitato verbo fligo, Becman *d. orig. latin. lingua voc. Afflictio*. fligo verò derivant à $\Phi\lambda\acute{\alpha}\omega$, quod frango, contundo, comminuo significat, & Attici usurpant pro $\theta\lambda\acute{\alpha}\omega$, quod per syncopen idem, quod $\tau\omega\lambda\acute{\alpha}\omega$, suffero, unde etiam $\theta\lambda\acute{\iota}\omega$ fligo Becman *c. l.* denotat oppressionem, ex rebus adversis, seu casu aliquo fatali. Et accipitur hic pro calamitate ista, quæ ex casibus fortuitis, quos præcedere necesse est, oritur.

Th. IV. *Describitur Exceptio impossibilitatis ex afflictione orta*: Quod sit exclusio quædam afflictio propter infortunium ex commiseratione danda ad differendam actoris intentionem alias in jure fundatam, in id tempus, quo reus id, ad quod de jure tenetur, commodè præstare tenetur.

Th. V. Et talem exceptionem afflictiis debitoribus dandam optima ratione & æquitate maximè svadente in jure nostro Romano germanico niti probat vel maximè Reformatio guter *Policey* de anno 1577. tit. von verstorbenen Kauff-Leuten ubi ita rescribitur: Daß sie aus unversehenen zugestandenen Unfällen / ihrer Leib oder Güther verstorben und ausgestanden sind / & de anno 1548. sub eod. tit. Quæ leges pietati, quæ pro paupertate facit *l. qui filium §. 1. ibi: egestatem pratendebant ff. ad SC. Trebellian.* consentaneæ sunt, quæ vult, afflictio non esse ulteriorem afflictionem addendam *l. Divus ff. d. offic. presid. l. pena 9. §. ult. ff. ad L. Pompej. d. parricid. l. tam dementis C. d. Episcop. audient.* Et quis eorum non misereatur, qui tali suppressi & oppressi jacent fortunæ impetu, cui nullo consilio, nullâ prudentiâ, nulloque humanarum virium robore resistere potuerunt *l. 6. C. d. pignorat. action. l. contractus 23. in fin. d. reg. jur. l. 2. §. 7. ff. d. administr. rer. ad civit. pertin.* siquidem ei nihil debet imputari, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum *cap. imputari d. Reg. jur. in 6. & pertinaces Creditores, ut commiserationis*

nis affectu ducantur, regulam charitatis & dilectionis Christianæ considerantes, & quod idem infortunium ipsis accidere possit, non statim cum sacco paratos, uti loquitur Iustus Paulus in l. 105. ff. d. solut. & liberat. accedere debere solutionemque urgere, fas est.

CAPUT SECUNDUM

Enumerat

Causas impossibilitatem ex afflictione inducentes.

SUMMARI A.

Tb. I. Qualis afflictio intelligenda, & quadam causa eam inducentes recensentur. II. Bellum afflictionum prima est. III. Pests equiparatur bello. IV. Incendii genera varia. V. Naufragiis integras sapius fortunas navigantes amittunt. Mercatores inter personas miserabiles referuntur. VI. Inundatione calamitas dominis agrorum obvenit. VII. Ruina adium calamitatem infert. VIII. Prædonum violentia incolis sua per vim aufert eosq; depauperat. IX. Tempestas eusus fortuitus est. X. Sterilitas casus est. Sunt adhuc alii casus, remissivè. X. Quid casus insoliti.

Th. I.

Tam variæ tamque multæ afflictionem inducentes causæ sunt, ut eas enumerare ἐκ τῶν ἀδυνάτων sit. Non tamen omnis afflictio, ex qua oritur impotentia, quod quisque debet, solvendi, semper miserationem meretur, quum sapius suæ quis fortunæ faber sit calamitatemq; bona sua dissipando aut dilacerando vel ludo rem familiarem perdendo, vel meretricum delinimentis bona sua consumendo, sibi accersat. Sed qui casus quæque afflictio à vi majori casuque veniunt, hujus sunt considerationis, ut illi demum, qui fortunæ ludibrio bona sua amisere, oleo misericordiæ digni æstimentur. vid. *Cap. seq.* Enumerabimus autem insigniores casus fortunæ, ex quibus oriri cernimus afflictionem misericordiâ dignam: Et sunt *Bellum, Pests, Incendia, Naufragium, Inundatio, Ruina, Prædonum violentia, Tempestatis impetus, Sterilitas Agrorum* uti & alii plures, nec non casus insoliti: Nisi dicamus, quod etiamsi non semper vi majori, sed una alterave causa, v.g. incendio, cujus vel suorum culpâ & negligentia illud ortum esset,

set,

set, quis adeo sit afflictus, ut propterea solvere impotens factus sit, in tantum dari locum huic exceptioni, in quantum sine dolo damnum factum sit, & ad patientiam movere possit debeatque creditorem.

Th. II. Primo loco ponitur *bellum*, quod omnium afflictionum prima & afflictissima causa dici potest; vel, uti Zorer. *qu. 81. n. 580.* bellum omnium immanitatum & feritatum epitomen, & omnium malorum causam, & Damhaud. *in prax. crimin. cap. 153. n. 23. & c. 7. 82. n. 132.* bellum reipublicæ perniciem vocant. Nam bellum perditionem animæ, corporis & substantiæ inducit, ut si bellum dixeris, omne malum dixeris Gail. *d. pac. publ. cap. 4. n. 43.* Non autem solum ipsum bellum sive flamma ejus, sed etiam timor ejusdem afflictionem creat, unde quis ad præstanda redditur inutilis, sicuti in jure terror armorum operatur eundem effectum, quem arma per *l. idem Labeo 29. l. quod est. 3. §. qui armati 5. ff. d. vi & vi arm. & quod timor belli peior sit ipso bello, dicit Sebastian Medices p. 2. d. casib. fortuit. quest. 1. n. 14.* Quidnam autem hæc afflictio ex calamitate belli orta operetur, de eo vide infra *Cap. IV. de Effect.*

Th. III. *Pestis* quoque æquiparatur bello ex sententia Sebast. Medices *d. l. qu. 6. n. 34.* ut tempore pestis inter Deum & homines bellum esse dicatur Berlich. *decis. 66. n. 13.* & dicitur casus fortuitus Ripa *in tr. d. privileg. temp. pest. n. 68.* & pro tanto infortunio æstimatur, ut tempus pestis dicatur tempus mortis, in quo solvuntur omnia jura contractuum, judiciorum, & ultimarum voluntatum Gail. *lib. 1. obs. 92. n. 7. Idem 2. obs. 23. n. 7.* Quæ pestis afflictio efficere potest, ut hodie ditissimus facultatibus suis, præsertim quæ ædificiis continentur, una die denudetur; seroque vespere pauperior Iro evadat; præsertim quoniam Magistratui permittitur, domum privati peste infectam, cum omnibus rebus, quæ in illa domo sunt, comburere Reyger *in addit. ad Mynsing. cent. 1. obs. 96. & in thesaur. lit. P n. 157. H. Latherus de censu lib. 1. c. 17. n. 10. Carpzov. ad L. Reg. cap. 7. sect. 2. n. 17.* Imò licet nemo invitus de domo sua debeat trahi, cum domus cuique tutissimum sit refugium & receptaculum *l. 18. ff. d. in jus vocand. l. 103. d. R. I. neque, cum possessor domus sit jam tum afflictus, ei nova sit addenda afflictio l. 4. §. cum autem ff. ad L. Rhod. l. 14. pr. ff. d. offic. presid. tamen potest exigente id utilitate publica, quæ præferenda est privatae, l. 3. §. 14. ff. ad SC. Syllian. ejectio omnino fieri, ubi enim universorum incolumitas respicitur, subditorum*

vel-

velle ac nolle attendi non debet, prout exemplis novissimis docet Dn. D. Georg. Engelbrecht Jctus *Helmstadiensis in dissert. de peste & juribus circa temp. pestis. §. 9.*

Th. IV. *Incidia* panas esse peccatorum sacrae testantur paginae, ut *Psal. 10. vers. 6.* Pluet, inquit David, super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Sunt autem incendia damna igne data, quibus vix ulla temporarium bonorum ad interitum proclivior est via, quam si incendii vim perferant. D. Stryke *dissertat. d. incendio casuali posit. 1. §. 3. ubi posit. 2.* varia incendiorum genera exponit; quod scilicet quaedam dolose contingant, unde *dolosa* dicantur, quaedam culpa, unde *culpata*; quaedam vero casu & fortuito, unde *casualia & fortuita.*

Th. V. *Naufragii* miserabilem esse casum, cum mercatores vel alios undarum clientuli dolato ligno confisi impetu fortunae inopinato integras saepe fortunas amittant navigantes; ut intuitu tot periculorum magis miserabiles esse videantur mercatores, quam illi, quos hostis circumfidet: hos siquidem honestae mortis usus, illos vero exitium inglorium manet, uti in materia parum dissimili loquitur Tacit. *lib. 1. annal.* ut propterea negotiatores inter miserabiles personas non insulse referat Marquard *d. jur. mercator. & commerc. lib. 1. cap. 4. n. 22.* sequutus Alexandr. *in consil. & Benev. Stracch. d. mercat.*

Th. VI. *Inundatio* ob imbres vel subitas regelationes, repente exurgens, bona fructusque graviter diminuit, adeo ut si agri formam aboleat, unius corruptio sit alterius generatio, vel dum publicus fit, vel proximo cuique possessori acquiritur *l. adeo §. insula & §. quod si toto d. acquir. rer. domin. Aymus d. alluvion. jur. libr. 2. cap. 22. ibique D. Fritsch. in not.* Aliud est, quando inundatio speciem fundi non mutat, tunc fundus publicus non fit *d. l. adeo ff. d. acq. r. d. §. 24. Inst. de rer. div.* interim calamitas est ei, qui ante agri fuit Dominus ejusque patrimonium hujus decremento diminuitur.

Th. VII. *Ruina aedium* calamitatem infert habitatoribus, ut postmodum id quod debent, exhibere nequeant, praesertim, si inopinatae eaque magna vi cogente & ex justo metu incendii ab aedibus avertendi causa aedes destruantur; Quemadmodum ejusmodi ruinae destructionemque metuendam habent propere mania civitatum, vel

vel ad templorum parietes ædificia habentes, si tamen quis pro salute totius viciniae domus alicujus diruatur, merito damnum destructæ domus ex publico sarcinendum esse inferunt *arg. l. 1. l. 2. ad L. Rhod. d. jact. Gail. lib. 2, obs. 22. n. 4.*

Th. VIII. *Prædonum & latronum violentia* incolis sua aufert eosque depauperat, ut pro casu fortuito & afflictione omnino sit habenda *l. 18. commodat. §. 2. Inst. quib. mod. re contrab. oblig. l. 6. C. d. pincet. act.*

Th. IX. *Tempestas* casus fortuitus est *l. ex conducto §. si vis tempestatis ff. d. locat. & cond. quæ varia esse solet, imprimis triplex, vel aërea, vel terrestris, vel aquatilis; Ad aëream referuntur venti l. 24. §. 4. ff. d. damn. infect. seu turbines §. 3. inst. d. emt. & vend. uredo l. 15. §. 2. locat. nives immoderatae & contra consuetudinem tempestates l. 78. §. fin. ff. d. contrab. emt. nimius solis fervor d. l. 15. tum etiam imbres majores, rupturæ nubium, grandinis insoliti, & insolitum gelu: Ad terrestrem chasma l. 11. §. 5. ff. d. minor. junct. l. 15. §. 2. locat. ad aquatilem, inundationes aquarum l. 10. §. 2. ff. d. peric. & commod. rei vendit. & vis fluminum d. l. 15. §. 2. locat. & l. 7. in pr. d. peric. rei vendit.*

Th. X. *Sterilitas* inter casus fortuitos numeratur *d. l. ex conducto. l. si uno. §. cum quidam ff. d. loc. cond. l. licet. vers. sterilitas C. eod. Agid. Bosl. tract. d. remiss. merc. n. 1. modò & ne quis, v. gr. conductor, sterilitatis causa sit, tunc ea pro casu haberi nequit, damnum potius sibi imputet, atque de se queratur Bartol. in l. fruno §. item cum 4. ff. locat. Mevius p. 9. decis. 116. n. 4. Sunt adhuc alii plures casus inter fortuitos numerandi, uti sunt aprorum, urforum, luporum incursiones, graculorum aut sturmorum invasiones d. l. 15. §. 2. locat. sic & Paupertas casus fortuitus est l. 2. §. si eo temper. ff. d. ministr. rer. ad civit. pertin. Sebastian. Medices d. casib. fortuit. part. 2. qu. 4. Quis autem omnes omnino emunerare potest, sufficiat extantiores indigitasse.*

Th. XI. Hisce connumerandi sunt *casus insoliti*, de quibus nec cogitatum fuit, nec qui in imaginatione hominum verisimiliter pervenire; Quorum exemplum ponit Menoch. *d. arbitr. judic. quest. lib. 2. cent. 1. cas. 80. in fin.* ubi dicit: Ego aliquando respondi, casum fuisse *valde insolitum*, cum in Italiam advolavit immensa illa locustarum quantitas, quæ in hac regione visa est, add. D. Hoppius *in dissert. d. edaci locustar. pernicioe memb. 3. th. 25. D. Wildvogel disert. inaug. d. insolito. Francof. ad Oder. hab.*

B

CA-

CAPUT III

tractat

Cui, & quando detur Exceptio impossibilitatis, vel non, & contra Quos.

S M M A R I A.

- I. Datur hæc exceptio debitori afflictio, ejusq; heredi. Si quis ob difficultatem solvendi impetrasset literas moratorias, neque in iis facta esset mentio heredum, beneficium induciarum ad eos non transit.
- II. Datur hæc exceptio non solum debitori privato, sed etiam universitati.
- III. Datur, etiamsi quis juraverit se certo soluturum. Debet autem afflictio probari.
- IV. Debitor, qui bonis cessit, quando postmodum convenitur, adhuc uti potest hac exceptione.
- V. Indigni sunt misericordia, qui afflictioni suæ causam dederunt.
- VI. Num fidejussori competat hæc impossibilitatis exceptio? VII. Datur contra Creditores, cujuscunq; sint conditionis.

Th. I.

Datur hæc exceptio impossibilitatis afflictio debitori, qui se debere & obligatum esse non negat, modo quod exhaustæ sint fortunæ ludibrio ac ejus vires ea propter debitum solvere non valet. Non autem ipsi debitori solum, sed etiam heredibus competit, cum nemo alieni periculi succedaneus esse debeat *l. 3. §. 8. d. administrat. l. 22. l. 26. ff. d. pen.* quatenus scilicet condemnatus fuit defunctus in quantum facere potuerit, vel quando defunctus calamitosus debitor fuit, ac heres cum beneficio inventarii adiit hereditatem *Busius ad l. 4. §. soli ff. quod cum eo, qui in alien. potest.* Aliud est, si debitor defunctus ob difficultatem solvendi impetrasset inducias moratorias, vulgò *Anstands-Brieffe* in iis verò heredum mentio facta non esset, eo casu beneficium induciarum ad eos non transit, cum personale jus sit, & impetranti inhæreat *arg. c. 7. d. reg. jur. in 6. l. 68. ff. eod. tit. l. 1. §. ult. ff. d. constit. princip.* nec de persona ad personam, nec de loco ad locum trahi debeat, *l. 7. in pr. ff. d. except. l. 25. ff. d. re jud.* præsertim, cum qui ejusmodi literas impetrat, id intendat, ut cum haberet quidem, quod solveret, nec sic simpliciter impossibilitatem solvendi prætendit, medio tempore aliquan-

quantisper respirare, de mediis & rationibus solvendi cogitare pecuniamque conquirere possit, quo finito dilationis tempore ad solidi solutionem eo promptior inveniatur; Itaque tale privilegium, quod non nisi cautione idonea de satisfaciendo à debitore præstita concedi solet, *l. universa C. d. precib. Imper. offerend.* ita accipiendum, ut minus, quam fieri potest, jus tertii lædatur *arg. l. nec avus C. d. emancip. liber. §. 1. 2. §. merito §. si quis à principe ff. ne quid in loc. publ. Vultej. consil. Marpurg. 19. n. 50. §. seq. vol. 3.*

Th. II. Datur hæc exceptio non solum privato debitori, sed etiam Universitati, gant Gemeind / Städten / Dörffern / Flecken & Collegiis, Zünfften / si in eam egestatem pervenerunt, ut difficulter solvere possint *l. universa l. quoties C. d. precib. Imper. offer. l. fin. C. qui bon. ced. poss. §. Constit. Imper. d. anno 1548. tit. von verdorbenen Rauff-Leuthen.* Neque beneficia, quæ alicui privato competunt, universitati, tanquam corpori multorum, denegari debent, aut privatus melioris potest esse conditionis, quam universitas. *l. 4. ff. quod vi aut clam Matth. d. Afflict. decis. 377.*

Th. III. Datur debitori hæc exceptio, ut etiamsi juraverit, se soluturum, nam juramentum firmat quidem promissum, sed non excludit exceptiones legitimas, inter quas naturalissima est ea, quæ impossibilitatis audit, vid. D. Struv. *exercit. 47. th. 43.* Est tamen calamitas & afflictio probanda; qui enim se in impossibilitate vel difficultate fundat, eam qualitatem debet omnino probare *l. non ignorat 9. ibique DD. C. qui accus. poss. & quidem illam contigisse post debitum contractum Trentacinqu. lib. 3. tit. d. solut. resol. 1. n. 17. §. 18.* quia alias in fraudem apertam creditorum debitor sciens se non esse solvendo, & nihilominus contrahens, se indignum facit beneficiis hujus exceptionis,

Th. IV. Datur etiam iis debitoribus, qui legitimo modo bonis cessere, quamvis eo ipso à flagitatione perpetua, & carceris metu liberentur, *l. 1. 4. C. qui bon. ced. poss. §. fin. Inst. d. act.* ipsa tamen obligatio & naturalis & civilis, ac exinde resultans actio, per cessionis beneficium non tollitur; Si tamen postmodum conveniatur, exceptionem impossibilitatis opponere potest, ut ultra id quod facere potest, nec condemnari, nec executio fieri possit *l. 3. C. d. bon. auth. jud. poss. l. 1. C. qui bon. ced. poss. l. 4. ff. eod. §. fin. Inst. d. act.* Neque est, quod quidam dicant, debitorem per ignominiosam bonorum cessionem

in totum liberari, neque in reliqua obligatum manere; Sed verius est, eum nihilominus obligatum adhuc esse, licet bonis ceserit, sed de-
mum per exceptionem impossibilitatis, quæ cum beneficio compe-
tentia competit, eum liberari Menoch. *d. arb. jud. quest. cas. 183. n. 20.* Hahn. *ad Wes. ff. d. cess. bon. in fin.*

Th. V. Indigni verò sunt misericordiã, qui non fortuna vi-
tio decoxere, sed causam suã afflictioni dederunt, uti sunt decocto-
res, bancruptores, falliti, in carcerem tædii, in den Schuld-*Thurn*/
detrudendi, vel, uti in quibusdam locis moris est, creditoribus adju-
dicandi, Mevius *ad jus Lubec. lib. 1. tit. 3. art. 1. n. 7. & seqq.* de quo
carcere tædii, infra in cap. ult. plura videantur.

Th. VI. Q. Num fidejussori competat hæc impossibilitatis excep-
tio ex afflictione debitori principali orta? Seu, num fidejussor con-
ventus allegare possit exceptionem debitori competentem, eo quod ni-
hil amplius, quàm quod principalis potuisset solvere, prestare teneatur?
Respond. Quoniam afflictio principaliter afficit personam, ejusque,
tanquam damnum passi intuitu datur hæc exceptio, dicendum est, cum
privilegium competentia sit personale, personam debitoris calami-
tosi non egredi & sic non competere fidejussori *l. 63. §. 1. ff. pro socio l. 41. d. re judic. l. 7. ff. d. except.*

Th. VII. Datur hæc exceptio contra Creditores, cujuscunque
sint conditionis; neque attenditur, parentes sint qui agant adversus
liberos, vel hi adversus illos *arg. §. 38. Inst. d. action.* Socero contra
generum, vel nurum *l. 15. l. 17. ff. sol. matr.* contra socium, *l. 16. ff. d. re judic.* datur hæc exceptio. Neque interest creditores ipsi actio-
nes suas in judicium deducant, an verò per Procuratores agant.

CAPUT IV

agit

De Effectibus.

SUMMARIA.

Th. I. Exceptionis hujus præcipuus effectus est, quòd Creditor teneatur
acceptare solutionem per certos terminos. II. Facit usuras remit-
ti pro certa parte. III. Creditor tenetur acceptare aliud pro alio,
& locum habet datio in solutum. Cujus dationis in solutum requi-
sita certa observentur necesse est. IV. Creditori non urgenti non
potest

potest dari in solutum invito. V. Qui dedit in solutum postmodum ad meliorem fortunam perveniens, gaudet beneficio competentia. VI. II, qui gaudent beneficio competentia, eò facilius possunt opponere exceptionem impossibilitatis. Quamvis non licet inferre, Afflictus est, E. habet beneficium competentia. VII. Ob difficultatem solvendi conceduntur debitoribus calamitosi moratoria rescripta. VIII. Cedere bonis potest debitor ad incitas redactus. IX. Impossibilitatis exceptio facit, quò minus locator pensionem habere possit. X. Afflictio tribuit immunitatem à muneribus patrimonialibus. XI. In iudicio extreme afflictus non tenetur satisfacere. XII. Non perimitur actio. XIII. Iudex super ea pronunciare debet. XIV. Cavere debet opponens hanc exceptionem, ut, si ad pinguiorem perventurus sit fortunam, quod solvere velit.

Th. I.

Præcipuus hujus exceptionis effectus est, quòd impossibilitas faciat creditorem acceptare ea, quæ per afflictionem facere debitori possibilia sunt, & sic, si non absoluta impossibilitas est, ex qua nihil potest consequi Creditor, contra naturam obligationis, ex qua debitori de toto obligatur l. 122. pr. ff. d. V. O. tenetur solutionem per certos terminos quotannis pro facultatum ratione faciendam, ut gewisse Tag-zeiten acceptare; Svadet enim ratio æquitatis, & humanitatis, ut debitor integrale debitum solvere non valens, solutionem tamen particularem offerens audiatur arg. pr. Instit. d. except. ut & arg. l. placuit 4. C. d. collat. fund. patrim. A qua acceptatione nec fiscus se excusare potest, sed ob inopiam debentium tenetur partiatim recipere, quæ debentur Everh. Junior consil. 7. vol. 1. n. 19. Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. lib. 22. cap. 7. n. 7. Carpz. præsid. debit. tb. 64. n. 13. seq. Quæ æquitas solutionis partialis s. distinctis vicibus præstandæ etiam per legem universalem in Recess. Imp. d. anno 1654. §. So viel nun / ita approbata est, ut debitores propter afflictionem & calamitatem in bello tricennali germanico perpeffam & facultates amissas, hoc solaminis habeant, ut ipsis ab anno 1657. usque ad annum 1664. Mens. 17. Maj. liberum relictum, sortem particulariter & ad summum pro quantitate debiti septem distinctis terminis solvere, creditoribusque necessitas solutionem eam accipiendi impositum sit, in verbis: Sals aber ein Creditor nach Verfließung erstgemeldter von dato dieses Reichs-Abchiedes 1654. den 17. Maj. angerechneten dreij

B 3

Jahr



Jahren/die Aufkündigung thäte/ soll dem Debitori in denen nechst drauf folgenden sieben Jahren frey stehen und zugelassen seyn / die Capitalsummen particulariter und auf gewisse/nach dem die Summa groß oder klein ist / proportionirte billichmäßige 2. 3. 4. 5. 6. oder zum höchsten 7. Termin &c. Der Creditor aber solches anzunehmen schuldig seyn/ Ubi tamen restrictio est, nisi ipse Creditor egeat, seque aliter cum familia sua, ipsi creditum non restituatur, exhibere queat, *d. Recess. verb.* Wenn auch sechstens &c. vid. Dn. Præsidis *Disp. d. pecunia statis temporibus solvenda* von Tagzeiten *th. 18.*

Th. II. Afflictio, quæ debitoribus memorato tricennali bello obtigit, movit Imperatorem & Status imperii, ut in *dict. Recess. Imper.* usuras pro quarta parte usque ad tempus proclamationis laudati Recessus fuerint remissa; quæ quarta quoque demum si annus 1664. esset præterlapsus, ita solvere debitori fuerit permissum, ut tunc quovis anno cum quota usurarum currentium, & ex hac quarta quotam præstiterit; imò nec hanc, si propter debitoris nimiam afflictionem exigibilis non esset, §. die verfloßene verb. soll nach dieser und des Römischen Reichs. Quæ remissio æquitati quam maximè convenit, siquidem usuræ propter usum pecuniæ mutuò datæ præstantur, hujusque fructus vocantur *l. usura 34. ff. d. usur.* quo cessante cessabit quoque harum præstatio.

Th. III. Quamvis aliud pro alio debitor non potest obtrudere creditori invito, neque hic, qui pecuniam mutuò dedit, vinum solutionis loco accipere cogendus est, *l. 2. §. 1. ff. d. reb. cred.* neque debitor obiectu debitoris sui se tueri potest *arg. l. 6. §. 1. quib. mod. pign. solv.* vid. D. Tabor *in præf. debit. n. 7.* Attamen propter afflictionem Legislatores debitori non minimum beneficium, quod scilicet aliud pro alio in solutum dare possit, ac Creditor illud accipere teneatur, benignissimè concessere, de qua *datatione in solutum* agitur in *Nov. 4. c. 3. §. 1. aut. hoc nisi C. d. solut. ibi: Hoc, nisi debitor in pecunia vel aliâ re mobili solvere nequeat: tunc enim res immobilis, quam debitor habet meliorem, solvi potest, factâ per judicem subtili ejus causæ estimatione: Ut rem prædictam & debitori solvere, & creditori liceat petere, præstandâ creditori cautela de evictione quæ debitori possibilis sit, quod est in omni actione.* Cujus beneficii causa movens sive impellens Imperatorē nulla alia quam indigentia & afflictio debitoris esse potuit; cum enim ipsi impossibile sit, id quod debet, idem solvere, admittatur aliud solvere
pa-

paratus *d. Novell. 4. c. 3. pr. ibi: Si quis mutuaverit aurum, debitoris substantia credens, at ille ad restitutionem auri non fit idoneus.* Ac porro verba emphatica in *d. Nov. 4.* habentur, ibi: *Quamobrem quodcum injuria & affectu acerboproduceret creditorem & debitorem, hoc Nos clementer simul & legaliter decidentes, & infelicibus debitoribus auxiliamur, & acerbis creditoribus non apparebimus duri, causam eis deputantes, ad quam si permanerent inobedientes, tamen modis omnibus advenirent &c.* addatur Recess. Imper. d. anno 1654. §. *So viel nun verlieder auf den Fall er vierdtens bey diesen Geld = Klemmen Zeiten keine bahre Mittel hätte / noch erlangen könnte / durch Dargebung anderer beweg = und unbeweglichen Güter / an statt bahrer Zahlung &c. der Creditor aber solche anzunehmen schuldig seyn.* Circa quam datio-nem in solutum sequentia debent observari requisita (1) ut debitor omnibus mediis præstandi, id quod in obligatione est, careat *auth. hoc nisi C. d. solut. (2)* ut solutionem prius ex mobilium distractione debitor quærat, quam immobilia creditori obtrudere velit. *d. auth. (3)* si nec mobilia adsunt, immobilia, si præprimis creditor nullum emtorem præparare paratus est *Nov. 4. c. 3.* subhastentur, aut publicè proclamantur *l. 9 C. d. bon. aut. jud. poss.* ut meliora dentur creditori, deteriora verò debitor post solutionem debiti retineat §. *verum verò datio d. Nov. & (5)* cum datio in solutum venditionis speciem habeat *l. 24. pr. ff. d. pign. act. l. 4. C. d. evict.* debet quoque debitor cautionem pro evictione præstare, quam præstare possibile est *d. Nov. 4.*

Th. IV. Introducitur hæc datio in solutum magis per modum exceptionis, seu, non tam sponte potest debitor creditori invito offerre eumque cogere, ut bona oblata in solutum accipiat, quam creditori invito offerre eumque cogere, ut bona oblata in totum accipiat, quam creditori instanti & urgenti demum ita dare per *dict. Nov.* quia Imperator voluit eo tempore hoc beneficium locum debere habere, quando bonis cedendum est, ad emolliendam enim cessionem datio in solutum concessa est, *d. Nov. 4. c. 3. vers. agnoscunt autem Manz. in patroc. debit. depauper. qv. 10. decad. 2. n. 46. seqq.*

Th. V. In tantum datio in solutum ad ulterius opponendam exceptionem hanc impossibilitatis ex afflictione locum adhuc habet, si dans in solutum postmodum idoneum emolumentum acquisierit, iterumque à Creditore conveniatur, ut condemnandus non sit in solidum, sed

sed exceptivè se beneficio competentia tueri possit, D. Stryke *disferr.*
n. beneficio dandi in solutum c. 5. n. 35.

Th. VI. Equidem ii, quibus de jure competit beneficium competentia, (de quibus vid. D. Lauterbach. *in Disp. de benef. competent. th. ii. seqq.*) ne ipsis ob debita omnia bona auferantur sive extorqueantur, sed ad alimenta sufficiens portio relinquatur, impossibilitatem solvendi facilius opponere possunt, ut actores solidum petentes exceptione opposita, non efficaciter agant; Verum, quod exinde omnibus indifferenter debitoribus per vim majorem bellicarum calamitatum ad egestatem reductis beneficium competentia competat, uti vult Manzius *in patroc. debit. depauper. decad. 3. q. 2.* dicendum non est; Neque sequitur, habet exceptionem impossibilitatis, Ergo habet beneficium competentia; cum naturalis æquitas & charitas Christiana, quæ vult, ut ab hisce debitoribus omni miseratione dignis, solidum non exigamus, ad privilegium allegandum non sufficiat, sed civilis potestatis auctoritas simul adsit necesse sit, prout illud ipse Manz. *d. qv. 2. n. 37.* fatetur. Vide hæc fusius deducentes D. Lauterbach. *c. l. th. 35.* D. Tabor. *in consultation. Academ. d. presid. debit. per calam. bell. in præfat.*

Th. VII. Impossibilitas solvendi movere potest Principem vel Statum imperii ad concedendas literas moratorias, vulgo *Quinquenell, Anstands-Briefe* quibus calamitosus debitor remorari debitum & executionem retardare potest. D. Struve *Jurisprud. lib. 4. th. 8. §. 18.* Quod respirationis asylum ex sola miseratione erga afflictos, contra jus strictum est introductum, quò contra creditores interim omnis exactio debiti omnisque executio tam in personam, quam rem differatur, nec medio tempore incarcerationi, nec arresto detineri possit Carpzov. *in Asyl. debitor. c. 4. pos. 61. n. 45.* ubi impossibilitas solvendi ex afflictione orta non tantum contra exactioem debiti principalis exceptionem operatur, sed etiam facit, ut exactio suspendatur Zang. *d. except. p. 2. c. 10. n. 8.*

Th. VIII. Afflictus debitor nullo firmiori præfidio, quo se adversus acerba creditorum tela tueri queat, circumvallatus esse potest, quam si creditoribus *bonis cedat*, quod remedium ponderatis incommodis, vocatur *flebile, luctuosum & miserabile adjutorium l. ult. C. qui bon. ced. poss.* eo autem ipso evitat carcerem, squalorem aliasq; molestias evitat, & hoc est, quod dicitur, quòd per bonorum cessionem

nem

nem principaliter remittatur ἢ τῶν ἀμείνων τιμωρῶν Hotoman. *illustr. qu.* 26. & executio impediri potest Zang. *d. except. p. 1. c. 26. n. 105.* & seqq. potest quoque per cessionem evitari infamia *arg. tot. tit. d. obl. qu. ex del. nasc. §. 1. Inst. quib. ex caus. manum. non licet. l. ult. ibi: salva eor. existimat. C. qu. bon. ced.*

Th. IX. Afflictio, quæ ex sterilitate oritur, facit, quo minus locatori pensio s. merces in fundo locato exsolvi possit, sed remittendam esse pensionem juris tam civilis quam Canonici textus probant, *l. 15. l. si vis l. 25. §. 6. ff. locat. l. 8. C. eod. cap. propter sterilitatem X. d. locat.* Covarr. *practic. quest. tom. 2. c. 30. n. 1.* quia in locatione merces principaliter præstatur ob usum rei, ideoque si conductor re uti nequeat, merito aliquid ei de mercede remittendum est, Carpz. *p. 2. c. 28. d. 19.* Quanta verò dicenda sit sterilitas, ut exinde remissio debeat vid. Mev. in seinem Rechts Bedenken unterschiedlicher Fragen zwischen den Grund-Herrn und Pensionarien *n. 19. & 20.* Et generaliter omnis vis, cui non potest resisti, parit exceptionem conductori, quo minus integram pensionem solvat *l. 15. §. 1. ff. locat.* vid. Mev. *d. §. n. 186. & 214.*

Th. X. Immunitatem à muneribus quod attinet, notum est, quòd regulariter de personalibus nemo aliqua gaudeat vacatione; Si tamen quis antea divitiis abundasset, facultatibus verò postea lapsus, esset ei; tanta accidisset afflictio & inde orta paupertas, ut quem oneri injuncto reddat imparem; veluti si quis tam tenuis & nullius fortunæ se esse demonstraret, ut vix sibi ipsi quærere possit vitæ necessaria, excusare se potest à tutela & cura *§. 6. Inst. d. excus. tut. l. 7. l. 40. §. 1. ff. eod.* à patrimonialibus muneribus ob rerum angustiam afflictum eximi dicit Ulpianus *l. 4. §. 2. ff. d. muner. & honor. & Gail. d. arrest. imp. c. 9. n. 20.* post Alex. *ad l. 2. ff. d. re judic.* à publicis collectis immunes prædicat eos, quos dura premit quotidie necessitas & indigentia, quia inanis est dicenda exactio, quam inopia debitoris excludit. Cui adstipulatur Klockius *d. contrib. c. 13. n. 58. & seqq. add. l. 3. §. 15. ff. d. mun. & hon. l. 2. C. d. exactor. tribut. lib. 10. Recess. Imper. d. anno 5. und nach dem die ansehnliche R. Imp. d. anno 1594. §. Und daß den Unterthanen R. I. d. ann. 1613. ibi: die Verarmte und Erbschöpffte.*

Th. XI. In iudicio afflictio & paupertas hoc operatur, ut Judex

C

af-



afflictorum & depauperatorum causas sine sportularum audiat solutione, gratis ipsis administret justitiam *6. 11. vers. insuper in fin. de rescript. in 6. gratis edat acta, examinet testes Gail. lib. 1. obs. 43. n. 15. 16.* Et sicut Medicus sine salario curat egenos: ita Advocati & procuratores in Camera Spirensi sine ulla remuneratione illis inservire tenentur, & ad hoc compelli possunt, non solum sub poena pecuniaria, sed etiam privationis officii *Gail. lib. 1. obs. 43. n. 11. 12. 13.* Interdum etiam sumptus litis ex fisco subministrantur inopibus *Ordin. process. Saxon. Elect. tit. 1. §. Ob wir auch wohl.* Imò ab adversario litem protrahente, puta quando appellaverit, alimenta sunt administranda *per l. 27. §. 3. ff. d. inoff. testam.* Quænam autem requirantur ut locum habeat privilegium paupertatis in processu vid. *d. Ord. process. Sax. t. §. Dieweil sich aber.*

Th. XII. Habens exceptionem impossibilitatis ex afflictione ortam utiliter eam adversario vel debitum ab ipso exigenti opponit, ac veluti Teucer Ajacis clypeo apud Homer. *Iliad. 8. v. 268.* tectus, frustratur actionem in solidum collimantis rigorem; Verum dilatoria est, neque propterea ab obligatione, qua adstrictus est, liberatur, sed adhuc in solidum manet obligatus, vid. *qua in cap. 3. th. 4.* dicta sunt, neque opposita hac exceptione competens actio tollitur, sed saltem, donec reus ad pingviorem fortunam perveniat, differtur *l. unic. §. 7. C. d. rei uxor. action. l. 8. C. sol. matr.* Et licet dilatoria sit, potest tamen tam ante quam post litem contestatam, imò & post sententiam latam in ipso quoque executionis actu opponi *l. 41. in fin. ff. d. re judic. Carpzov. p. 1. c. 32. d. 15. n. 9. & seq.*

Th. XIII. Super exceptione ista impossibilitatis cognoscendum est Judici, quanta & qualis ista sit; Non minus etiam, ex qua causa afflictio orta sit, num factio afflicti, num præter illud. Et licet exceptio incompetentiæ, si non opponatur a litigante, non sit supplenda à judice *Bachov. ad Treutl. vol. 2. d. 26. th. 6. lit. C.* hæc tamen, quæ impossibilitatis dicitur, ita comparata esse videtur, ut judex, si de ea constet, ex officio succurrat afflicto, atque in sententionando ejus rationem habeat; Qui consideratis qualitatibus & circumstantiis affirmabit, quanta afflictio & paupertas, & quæ tam actoris quam Rei sit qualitas vid. *Harm. Hart. 2. tit. 18. obs. 2. n. 3. Carpzov. p. 1. c. 32. def. 16. Lauterb. d. benef. competent. th. 50. Ripa in tr. d. peste n. 103. Menoch.*

noch. *d. arbitr. judic. quest. lib. 2. cent. 1. cas. 80. in fin.* Riminald. *conf. 40. n. 26.* Quemadmodum in locatione conductione, quando casus fortuitus accidit conductori, quo minus præstanda præstare valeat, non tam præcisè ad certam quantitatem respiciendum, quàm pro rata exoneratio mercedis facienda *per text. in l. 15. §. 7. ff. locat. juxta quem in terminis decidit Mey. p. 9. decis. 144. add. Franzk. ad tit. ff. d. locat. n. 106. & si omnes penitus fructus consumti sint casu, nihil mercedis nomine præstabit colonus d. l. 15. §. 2. ibi: ne supra. Si quosdam, ut plerumque fieri solet, præstabit pro rata illorum ex æquo & bono conf. D. Struv. *synt. jur. civ. exerc. 24. tb. 16.**

Th. XIV. Tandem etiam hoc addendum, quod qui impossibilitatem solvendi propter afflictionem allegat, quoniam se in totum à nexu non liberat, debeat cavere, de solutione facienda, ubi propitius fatum nubila in juba mutaverit, ut proinde solutio à solius fortunæ arbitrio pendeat *l. un. §. 7. C. d. rei uxor. act. & ibid. Gothofr.* Hinc colligunt DD. reuerti repromissionem negari beneficium competentia *Colleg. Argentor. ad lib. 43. ff. tit. 1. §. 35.* Quæ tamen cautio nuda intelligenda est *l. 63. §. 5. ff. pro socio. l. 47. d. pecul.*

CAPUT V. & ULTIMUM

tractat

Affinia & Contraria.

SUMMARIA.

Th. I. Quandoque sponte debitoribus indulgetur solvendi modus, cum voluerint, unde nascitur exceptio pacti de non petendo. II. Quomodo cum improbis debitoribus secundum LL. XII. tabb. actum fuerit refertur. III. Quanam poena sint jure civili statuta in debitores dolo facultatibus lapsos. IV. In imper. german. varia poena irrogantur debitoribus oberatis. Jure Saxonico detruduntur in carcerem publicum in den Schuld-Thurm Jure Statutario Hamburgens. in den Winsenbaum.

Th. I.

Quandoque Creditores tam misericordes reperiuntur (quorum quidem vix totidem esse credideris, quot Thebarum portæ, vel

C 2

divi-

divitis ostia Nili) qui absque interpellatione judiciali, neque expectata exceptione opposita vel remittunt debitum, vel solutionem, prout commodum fuerit debitori, eique benignior fortunæ cura afflaverit, absque certi temporis determinatione relinquunt; Quæ benigna concessio facit exceptionem debitori, ut si conconveniatur, opponere possit exceptionem pacti de non petendo, quamdiu enim in vivis est, ad solutionem compelli nequit Berlich. *part. 2. decis. 193.*

Th. II. Supra dictum est, calamitos debitoribus, qui absque culpa sua, sed mero infortunio tales sunt exceptione impossibilitatis succurri, eosque variis modis à tædio carceris liberari. Nihil ergo operatur ista exceptio, quando debitor suæ afflictionis faber est; Quales sunt improbi decoctores non solvendo facti, cum quibus juxta leges XII. tabb. durus erat procedendi modus. Primò enim debitoribus triginta dierum induciæ dabantur Gell. *lib. 20. cap. 1.* Elapso 30. dierum spatio, sequebatur executio rei judicatæ, ut scilicet per manuum injectionem in jus duceretur trahereturque, ut victor impretaret à Pratore, quo victum sibi addiceret; Tandem fiebat finalis executio, quæ triplex erat, (1) Venditio, & quidem peregrè, h. e. extra patriam Val. Maxim. *lib. 6. c. 1. §. 9.* (2) erat pœna capitis Hottom. *qu. illustr. qu. 26.* Sed hanc capitis pœnam, ut Gellius *lib. 20. c. 1.* loquitur, sancientiæ fidei gratia horrificam atrocitatis ostentu novisque terroribus metuendam reddiderunt: nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt; Unde (3) erat Sectio & Partitio corporis debitoris sibi addicti. Hujus sectionis meminit Quintilianus *l. 3. c. 6. Instit. orat. vid. Rittershus. in comment. ad L. XII. tabb. c. II. p. 210.*

Th. III. Jure civili aliæ pœnæ in dolosos decoctores & debitores sua culpa aut dolo facultatibus lapsos constituuntur; laborant enim tam infamia juris quam facti *l. 13. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Subjiciuntur præterea ictibus plumbatarum *l. 40. C. d. decur.* quod Stracha *17. d. decoct. p. 3. n. 4.* declarat. remóventur à dignitate *l. 2. C. d. palat. sacrar. largit. & ab officiis l. 12. C. d. suscept.*

Th. IV. In imperio Germanico leges & statuta varias pœnas irrogant debitoribus obcæris & decoctoribus. Extat constitutio imperialis d. anno 1577. *tit. 23. in der Policey Ordnung von Franckfurt* / ubi dignitatibus privantur. Jure Saxonico ejusmodi debitoribus assignatur carcer publicus, der Schuld-Thurm / in quem uno
vel

vel pluribus creditoribus id postulantibus factâ excussione conjicitur, & tandiu in illo detinetur, donec vel solverit, quod debet, vel aliter eo nomine creditoribus satisfecerit *Const. Elector. Saxon. part. 2. c. 22.* Jure statutorio Hamburgensium pœna debitorum est carcer *Der Winerbaum* dictus, in quo detinetur per tot annos, quot mille marcarum Lubecensium debitum continet vid. *part. 1. tit. 41. art. pen. ibi: soll er so viel Jahr auf dem Winerbaum sitzen / so viel tausend Marck er schuldig bleibt / add. Dn. Stryk. disp. d. carcere ad custodiam. cap. 4.*

TANTUM!

*Corollaria desumpta ex difficili & in foro
utilissima*

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM MINORUM MATERIA.

I.

Restituendi facultas in integrum hodie cuilibet jurisdictionem habenti competit, etiam contra propriam sententiam *l. 16. §. 1. & l. 42. ff. de minor. Magnif. Dn. Struvius Ex. 8. th. 4.*

II.

Judex si notoriam læsionem deprehendat, debet esse ad restituendum minorem in integrum facillis. *Mevius p. 5. dec. 5. add. Gail. 1. O. 75. & restitutionem decernere, nec gravare minorem onere probationis Philipp. ad Dec. Elect. 4. Obs. 3. n. 7. & ex officio decernere restitutionem statim potest Carpozov. in Process. Tit. 19. art. 2. §. 2. n. 6.*

III.

Minor restitutionem petens damna & læsionem judici tenetur manifestare læsionisque causam demonstrare *l. 3. ff. de restit. in integr. illi enim tantummodo sunt restituendi, qui inciderunt in læsionem aliquam vel captionem, quæ vel ex proprio errore & facilitate, vel adversarii conventionem provenit: D. Richter. V. 1. p. 3. Conf. 3. n. 38. modica autem læsio sufficit Brunnein. Proc. cap. 1. n. 36.*

3

IV.

IV.

Minor potest petere restitutionem etiamsi sit Doctor, juris & restituitur, non vero circa ea quæ sunt juris, Dn. Struv. *Ex. 8. th. 55.* Wisenbach. *ad ff. disp. 14. th. 4.*

V.

Minor restituitur etiam ob interesse affectionis Wesenb. *Consil. 190. n. 4. § π. ff. de minor. 25. ann. n. 6.* Brunneinan. *cent. 1. Dec. 61. n. 3.*

VI.

Restitutio in integrum ad universales successores minorum transmittitur. *l. 18. §. f. l. 19. ff. de minor. l. 6. ff. de rest. in integr.* Richter. *V. 1. p. 3. Cons. 2. n. 34.*

VII.

Minor contra minorem non restituitur, si verò unus de damno, alter de lucro certet, tunc ratione lucri restituitur etiam contra privilegiatum *l. 34. pr. ff. de minor. ibiq. Gloss.*

VIII.

Minor læsus restituitur, nec tutoris vel curatoris consensus hoc impedit Brunnem. *4. Dec. 4. n. 4.* Philipp. *ad Dec. Elector. 23. obs. 1. n. 10.* sive curator ei adstiterit, vel solus contraxerit *l. 47. ff. minor. l. 2. § 3. C. si tut. vel Curat. & nihil interest, negotium cum minore an gestum fuerit extrajudicialiter l. 7. pr. ff. de minor. Wesenb. ad C. si advers. solut. Sive judicialiter & cum decreto judicis l. 7. §. 4. ff. de minor. l. II. Brunnem. 1. Dec. 61. n. 3.*

IX.

Minores nihil facere possunt quò conditio eorum fiat deterior, quia talis ætas nec scire nec discernere potest, & ideò contra donationem etiam ad bene merita minor restituitur Dn. Præles *in disfert. de Benemerito cap. 2. th. 7.*

X.

Donationes à minoribus nec cum decreto possunt celebrari *l. 3. si major fact. alienat. fact. sin. decret.* quia hoc negotium non habet syn-

fynnallagma, nec minori utile est donare enim est perdere *l. 7. pr. ff. de donat.* & ad donationem etiam refertur juris liquidi remissio Wesenb. *ad C. si advers. donat.*

XI.

Minor restituitur adversus donationem à parentibus factam de bonis ejus mobilibus, si vero facta de rebus immobilibus, non indiget restitutione, sed ipso jure nullus est contractus, vid. *l. 2. C. si advers. donat.* ibique Perez. n. 1.

XII.

Præscriptio in minore ætate non currit *l. f. C. in quibus caus. in integr. rest. non est neces.* Richter. *V. 2. Conf. 123. n. 18.* nec præscriptio 30. dierum contra apocham, si quam dedit Lauterbach. *ad ff. de reb. cred. pag. m. 273.*

XIII.

Præscriptio longissimi temporis non currit contra impuberes, Brunnem. *5. Dec. 82. n. 4.* puberes verò facti restituuntur in integrum Brunnem. *4. Dec. 6.* restitutio enim peti potest vel ob justam ignorantiam, vel ob ætatem minorennem Brunneinan. *5. Dec. 25.*

XIV.

Minor prætermittens petere renovationem feudi summa licet fiat negligentia, modo vera contumacia absit, restituitur in integrum Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. 10. tb. 9.*

XV.

Minor curatorem habens si pecuniam mutuam dat, non contrahit obligationem, nec pecuniam accipientis facit, & ideo nummi si extant vindicari possunt *§. 2. Inst. quib. alien. licet vel non.* Consumti verò si sint b. f. convalescit mutuum & datur condictio ex mutuo. Dn. Struv. *Ex. 16. tb. 16.*

XVI.

Minor quamvis non videatur restituendus contra ea quæ bene & prudenter gessit, verius tamen, est probatâ ætate & læsione præsumi minorem ætatis impulsu lapsu, ut proinde sit restituendus. *l. i. C. qui & adversus, quos in integr. restit. ibiq.* Wesenbec.

XVII.

XVII.

Minoribus solvi non potest Dn. Præses *Jpr. Elem. disp. 22. th. 9. tit. 5.* si vero ille alteri solvit solum repetere potest per condictionem indebiti Perez, *ad C. si advers. solut. n. 3.* quomodo vero minori tuto solvi possit, late docet Richter. *V. 2. Conf. 180. n. 8.*

XVIII.

Minor transgens cum adversario suo etiam si curatore autore factum sit, restituitur, pristinumque suum jus consequitur & idem est ac si nulla præcessisset transactio *l. 1. § 2. C. si adversus transact.* ibique Perez. *n. 1.* Adversario verò pristinae actiones adversus minorem competentes restituuntur etiam si factæ fuerint inefficaces, nihilominus recipiunt pristinam vim *l. 24. § 4 ff. de minorib. l. 2. C. si advers. transact. ibiq. Gloss. in verb. instauratione.*

XIX.

Minor restituitur etiam contra sententiam, quæ transit in rem indicatam, quod enim appellatio interposita majoribus præstat, hoc beneficio atatis consequuntur minores *l. 42. ff. de minor. Mev. p. 6. Dec. 72. Dn. Struv. Ex. 8. th. 58. in fin.* etiam contra lapsa fatalia & præscriptiones judiciales Richter. *V. 2. Consil. 131. n. 15. Brunnem. cent. 4. Dec. 15. n. 3. § 4.*

XX.

Restitutio in integrum executionem suspendit *l. unic. C. in integr. restit. postul. ne quid nov. fiat.* & maxime si ante inchoatam executionem petatur Brunnem. *Process. civil. c. 28. n. 129.*

XXI.

Tempus intra quod petenda restitutio, hodie est quadriennium Strauch, *ad Univ. jus Exerc. 27. th. 27.* quod tamen incipit currere à die scientiæ *l. ult. C. de tempor. in integr. restit.* Brunnem. *1. Dec. 41. n. 3.* ignorantia enim juris minoribus non nocet quo minus restitui possint *l. 2. § 11. C. de jur. & fac. ignor.* Richter, *V. 2. Conf. 130. n. 11.*

XXII.

In causa hac restitutionis in integrum debet procedi summariter, quoad sufflamina scil. & strepitus judicii Carpzo. *proc. Tit. art. 1. n. 16. seq.* Brunnem. *proc. civil. c. 1. n. 21. in fin.*

F I N I S.

00 A 6376

ULB Halle
002 916 72X


3



Sb.

107
1017





Farbkarte #13

B.I.G.

18

D.
 DE
 PTIONE
 BILITATIS
 TIONE ORTA,
 Sub
 RESIDIO
 ILLERI, U. J. D.
 onfil. Saxon. & Colleg.
 . Asfesfore,
 Januar.
 utabit Autor
 A E L Niemann /
 Eglâ - Saxo.
 erianis, A. M D CLXXXV.

